Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

abundauit in membris meis. ut fructificemus morti. R. iij.
Nunc autem soluti sumus a lege mortis in qua detenebamur ita ut seruiamus in nouitate spiritus et non in uetustate litere. Quid ergo dicemus. Lex peccatum est. Absit. Sed peccatum non cognoui nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret non concupiscas. Fer. v. R. prima.
Occasione accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem uiuebam sine lege aliquando. Cum autem uenisset mandatum peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum et inuentum est mihi mandatum quod erat ad uitam. hoc est ad mortem. R. ij.
Nam occasione accepta per mandatum seduxit me. et per illud occidit. Itaque lex quidem sancta. et mandatum sanctum et iustum et bonum. Quod ergo bonum est mihi factum est mors. Absit. Sed peccatum ut appareat peccatum. per bonum operatum est mihi mortem. ut fiat super modum peccans peccatum per mandatum. R. iij.
Scimus enim quia lex spiritalis est. ego autem carnalis sum. uenundatus sub peccato. Quod enim operor non intelligo.
Non enim quod uolo hoc ago sed quod odi illud facio. Consentio legi quoniam bona est. Nunc autem iam non operor illud sed quod habitat in me peccatum. Fer. vij. R. i.
Scio enim quia non habitat in me hoc est in carne mea bonum. Nam uelle adiacet mihi. perficere autem bonum non inuenio.
Non enim quod uolo bonum hoc facio. sed quod uolo ~~bonum~~ malum hoc ago. Si autem illud quod facio non ego operor illud sed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legem uolenti mihi facere bonum. quoniam mihi malum adiacet. Lectio secunda.
Condelector enim legi dei secundum interiorem hominem.
Video autem aliam legem in membris meis repug